

bus sic per exteriores partes discutitur, quæ superiores partes infestat, extractione sanguinis in cubi-  
 to, potissimum abigitur. Quod si infimas thoracis partes occupet, per inferiores meatus exitum qua-  
 rere solet. Sic materia pleuritidis diuersos locos affectat, & diuersa accidētia testantur quo vergat mor-  
 bi, naturæque motus. Illud verò, quod ad ordinem solutionis pertinet; an scilicet febris citius, quam  
 pleuritis; an hæc, quam illa; vel vtraque simul eodem cursu abibunt, nunc tradere superest. Nam et si se-  
 quitur febris pleuritidem, contingit tamen ob diuersitatem materiæ, quæ in corpore reperitur solui  
 pleuritidem manente febre; id quod ostendet propria essentia febris, propriaque illius symptomata,  
 quæ perseverant grauius affligere declinante iam inflammatione. Quod si idem fuerit humor, qui  
 vtrumque malum committit, nec aliæ superuenerint causæ, quæ febrem peculiariter intendunt, mi-  
 nuanturque, & augeantur pariter vtriusque affectus symptomata, nec peculiare quidpiam vni potius,  
 quam alteri malo ex corporis conditione, & remedijs accedat, eodem tempore integram salutem  
 expectabimus, quod & similitudines, & ex omnibus fontibus ducta indicia ostendent; vt & alia  
 vniuersa quæ in hoc casu ad prædictionem vnquam pertinere posse putabuntur, ne cogamur in  
 vno exemplo integrum volumen conscribere. Itaque explicatis his, quæ ad essentiam, genera, differe-  
 rentias, symptomata, causas, tempora, & signa pleuritidis pertinent, iam ad illud accedendum est, cuius  
 causa hæc sunt a nobis elaborata. Id autem est, quod ad actionem pertinet, quæ quum rectè institui ne-  
 queat, nisi certis scopis propositis, in quos omnia referantur, certa que adhibeamus instrumenta, quo-  
 rum beneficio singulos scopos assequi liceat. Sint autem illa indicatio, obseruatio, & analogismus, in  
 hoc potissimum casu indicationibus vtemur. Sunt porro scopi in hac re considerandi octo; placet ta-  
 men & primum addere, vt omnes ad vsum ducantur. Igitur quum grauis sit casus, de quo egimus, nec  
 tamen perpetuò desperatur, aliquid profectò a nobis agendum esse indicat. At quoniam aliquid est in  
 corpore laborante pleuritide secundum naturam, quod sui conseruationem postulat; aliud verò præ-  
 ter naturam, quod sui ablationem indicat necessariam, duo profectò imprimis a nobis agenda, mutan-  
 dum inquam, & conseruandum relinquatur. Verum quum magis vrgeat, quod præter naturam est, (ita  
 enim statuatur) ab hoc auspiciabimur, quidque & quot ipsum postulet expendemus: Id quod indica-  
 bit numerus & natura eorum, contra quæ pugnandum est. Sunt autem hæc nõ semper numero æqua-  
 lia. Nam incipiente & crescente adhuc inflammatione plura adsunt quam quum viget illa, aut remit-  
 titur. Sunt & plura præstanda, vbi corpus multis, aut malis humoribus redundat, quam si hæc abfue-  
 rint. Quapropter separatim hæc tradenda sunt. Ergo si inflammatio viget, aut declinat, tria potissimè  
 erunt obeunda, vt liberetur, qui laborat, contra ipsam inflammationem, febrem causasque illorum,  
 quæ actu sunt pugnandum. Quod si incipiat aut augeatur adhuc affectus, adduntur duo necessaria,  
 vnum scilicet, quod pugnet aduersus fluxionem, alterum aduersus causas. At si amplius augeri nequeat  
 inflammatio, adsit tamen aliquod in humore vitium, erit pariter cum pleuritide, & febre, & causis ille-  
 rum certandum cum humore. Sed demus, quod ferè contingit, & omnia mala in se complectitur, in-  
 cipere, augeri que adhuc inflammationem, erunt (vt diximus) in hoc casu exercenda officia contra flu-  
 xionem, inflammationem, febrem, & causas istorum omnium. Nam symptomata, quæ causæ ratione  
 non subeunt, nullam operam, nullamque medicinam postulant, vtpote quæ alijs ablatis, à quibus na-  
 scuntur, sponte euanescent: Ex quo constat curandum, præseruandum, & mitigandum. Nam qui flu-  
 xionibus, & causis fluxionum medetur, præseruare dicitur, quod scilicet prohibeat morbum augeri, qui  
 verò humorem contentum in parte affecta educit, abigitque reliquas causas, quæ actu ad inflamma-  
 tionem & febrem constituendam faciunt, is curare putatur; nisi contra illas pugnet, quæ in genere  
 symptomatum continentur; is enim mitigare dicitur, qui eas abigit. Hæc igitur a medico præstanda.  
 At quum natura affectus vehemens sit, quæ inducias non præbet, indicat properandum esse, vchemen-  
 terque omnibus malis resistendum. Quod si pariter omnia vrgeant, pari opera illis succurrendum erit,  
 alioqui prius illi, quod magis infestat. Est autem id in principio & incremento inflammationum ipsa  
 fluxio, fluxionisque causæ: Quum vero viget malum id quod iam influxit, inflammationemque con-  
 stituit. Demus autem vrgeri fluxionem illiusque causas, & queramus quid agere oporteat. Id autem in-  
 dicabit natura cuiusque. Quum. n. fluxio motus quidam sit humoris tendentis ab vno loco in alium, &  
 qui eam sistere velit, is pro illius natura, & differentijs diuersos motus instituet. Sunt autem huius-  
 modi motus, qui fiunt ad contraria, aut vicina loca; atque illum vocant reuulsionem, hunc verò de-  
 riuationem. Porro reuulsionem vtimur, quando confertim irruunt humores, & recens est fluxio, vel  
 dolorem facit, aut quiescunt adhuc humores, sed tamen iam dudum aliquam partem infestare con-  
 sueverunt. Reuellitur (vt diximus) humor, quum ad remotas partes reuocatur, quamquam tamen  
 reuelleri quoque dicitur, qui ad partem, a qua commotus est humor, fluxionem retrahit, quod  
 potissimum faciendum est, quum originem fluxionis perspectam habemus, & ignobiles sunt  
 partes, quæ mittunt, nobiles verò quæ recipiunt. Sic enim in morbo comitali orto ex pede par-  
 ti affectæ calefacientia, & alia adhibemus, quæ vim habeant reuocandi ascendentem humorem  
 ad caput. Quod si nobilis est, vel magni alicuius momenti, quæ mittit, ignobilis verò quæ reci-  
 pit, nequaquam fluxionem ad originem mali reuocabimus, quo fit, vt in peste iam prodeuntibus ma-  
 culis,